

locupletum bibliothecarum, imprimis antiquiores, diligenter excuti velim, Tibique, etsi ad hoc monitore haud eges, auctor sum, ut in Hispanorum bibliothecis libros Homericos et Grammaticos, qui in illos commentati sunt, diligenter inuestiges; etsi enim omnino desperandum esse censeam, fore ut maioris momenti vllum antiquum monumentum alicubi delitescat, liberalioris tamen litteraturae nimium quantum interest, ut saltem hoc omni dubitatione careat, nihil amplius sperari posse. Quod ad editiones attinet, operae utique pretium fecisse videri debet is, qui earum inter se, imprimis antiquiorum, comparatione, annales Homerici studii condiderit, et editionum proficiam ac successionem per singulos gradus descripserit; ut adeo lectionis aut deprauatio et immutatio, aut emendatio, per singulas editionum familias constitui et intelligi possit. Ut hoc a viro docto, qui aliquando id in se receperit, perfici possit, curatum est, in bibliotheca nostra academica ut editionum Homeri copia in promptu sit, quanta vix alio in loco.

Quae adhuc disputata sunt, ad editionem seu vnam seu plures critici generis spectabant: siue enim illa omnes, quae vsquam sunt, grammaticas et criticas copias complexa editio effectum habuerit, siue non habuerit, possunt editiones ex hoc genere institui plures, re aut per partes distributa aut dilectu rerum facto, quem equidem praeferam. Ita vero de lectione quidem minus laborabimus; ad
inter-